

Peroratio.
Repetitio.

Sic, A. I. dixi de Homicidio; & quàm abominanda res
sit, breviter dixi.

a. Amplific.
(a)

Pœna, non sine tremore Homicidium apud Inferos ul-
timo supplicio vindicari asserunt; quando proponunt, quod Sisy-
phus, qui latrocinium in Isthmo exercuit, & à Thesio postea est
interfectus, apud Inferos hac pœnâ afficiatur, ut lapidem in mō-
tem volvat, qui ad apicē deductus, continuò ad ima relabitur: dum

Aut petis aut urges ruiturum, Sisyphè, saxum.

(b)

Similiter contestantur, quadraginta novem Danaï filiabus,
quæ prima nuptiarum nocte suos maritos, vino somnoq; sopitos
jugularunt; apud inferos hanc pœnam designatam & constitutam
esse, ut dolium percusum impleant aqua, è quo tantum effluit,
quantum superinfundunt,

Moliriq; suis lethum patruelibus ausæ,
Assiduè repetunt, quas perdant, Belides undæ.

(c)

Ipsi Ethnici hic contremuere? & nos Christiani contremi-
scere non incipiamus, & homicidia, cane & angore pejus, ju-
giamus? fugiamus? fugiamus?

3. Affectu
motto.

Quod ut facere possimus, fac, ô Domine Iesu,
Hinc puras cœcis semper habere manus.

D I X I,

Pietate & Doctrinâ Ornatiss: Dn. Peroranti.

JOANNES ANBERG:

Per Anag.

BENIGNA RESONA.

Sit faustum & felix: RESONA quæcunque BE-
(NIGNA:

Doctâ attolle bonum, deprime voce malum.

LAURENTIUS LUDENIUS, Ph.

& J. U. D. & Professor.

ORATIO
De
HOMICIDI-
DIO:

Quam,

Deo Duce & Auspice,

In Regiâ Academiâ GUSTA-
Ulanâ, quæ Dorpati Livonorum
est ad Embeccam, die 2. Maij,
Anno 1642. publicè in Audi-
torio Magno enarrabat

JOHANNES Anberg / Smo-
landiâ Svecus.

DORPATI, Typis Acad.
Anno M. DC. XLII.

VIRIS

*Reverendis, Claris: Præstantis: Amplissimis, Prudentis: Politis:
Humanis: & Doctis: & Literatissimis*

DN. M. NICOLAO RUBENIO, in Switarndh / Berga & Dörarp Pastori meritis:

DN. TORSTANO LAURENTII, in Rydaholm & Sellarydh Pastori vigilantissimo, nec non Territorij Osboënsis Præposito dignissimo;

DN. ERLANDO PAULINO, in Markarydh & Hynnerdh Pastori fidelissimo, Sororio suo plurimum honorando;

DN. PETRO PAULINO Seniori, in Markarydh & Hynnerdh verbi Divini Symmistæ commendatis;

DN. PAULO PAULINO, SS. Th. Studioso indefesso;

DN. NICOLAO PSILANDRO, Ph. & SS. Th. Studioso pervigili;

DN. M. MAGNO PAULINO, per Westrogothiam & Daliæ Vice-Legifero æquissimo;

DN. BRODDERO JACOBI, in Markarydh / Finium Svecorum versus Daniæ Inspectori apprime Circumspecto: Parenti suo jugi filiali observantiâ prosequendo;

DN. PETRO PAULINO Juniori, LL. Studioso admodum gnavo;

DN. ERICO PAULINO, LL. Studioso Assiduo;

DN. PETRO PSILANDRO, Illustris & Generosi Dn. Johannis à Skurf / Apologistæ attentis;

DN. JACOBO Anberg / Fratris suo dilectissimo;

*Dn. suis, Evergetis, Promotoribus, Fautoribus,
Parenti, Amicis & Fratri; quovis Reverentiæ, honoris, observantiæ & Pietatis cultu perpetim prosequendis;*

Exercitium hoc Oratorium, in merita debitaq; gratitudinis argumentum, reverenter, officiosè, filialiter, amicè & fraternè inscribis ac offert

JOHANNES Anberg.

Est. A
34361

4-31

Præcipe, DOMINE, in Pace recipi

Spiritus meum.

Nec enim sexus, nec ætatis rationem habet periculum de Vitâ! Sit licet sapiens, bona vita cupiditas; naturaliter tamen inter negotia morimur.

Ut nihil interimat, tamen ipso in tempore, Mors est; Sic oleo lampas deficiente perit!

Calor vegetus, dum paulatim absorbet humidum, ad mortem devenimus; ut sic vivere sit ad finem currere.

Morte insuper violentâ adhuc acceleratur Mors Naturalis. Siquidem contingit præter corporis animati constitutionem, & extrinsecus ante completum vitæ naturalis tempus exoritur: quandoquidem non contingit ratione caloris nativi, humidum radicale paulatim depascens.

Novimus, quod è violentâ corporis corruptione, infantuli, antequam etiam nascantur, in utero Materno denascentur!

Qui in lucem hanc nati sunt homines, eorum plurimos interimat Aër, humido & calido radicali non conveniens; alios, cibis & potus non reficiens; alios motus immoderatus, calorem dissipans, & vires atterens; alios nimia quies, attrahendo nimiam excrementorum copiam; alios somnus nimius, nimium refrigerans; alios immodica vigilia, dissipantes spiritum & calorem, concoctionemq; impediens; alios pathemata inordinata, quæ turbulento humorum spirituumq; motu, ipsum cor aliasq; corporis partes variè afficiunt ac alterant. Vi taceam, quod calor corrumpatur per seipsum, non secus ac ignis per accidens à seipso consumitur, quatenus suum pabulum absorbet, quod quidem non conficit ut se conficiat, sed ut se conservet. Taceo, quod causa sæpius sint occultæ, & non sensu, sed artificiosâ conjecturâ cognoscantur.

Dolendum autem est, quod causa evidentes, & non necessaria; sed quas, Deo jurante, declinare potuissemus, sæpius occurrant; prout videmus, quod contagium, & quod venenum multos perimat! videmus quod

A 3

casus

casus gravior, multos comminuat! videmus, quod iætus lapidis, scli, gladij, multos exanimet! videmus, quod vi adhibitâ, & manu cruentâ, sapius homo hominem occidat!

Mirum sanè non est, si bruta carnivora & pisces in aliena sæviâ viscera, & se mutuo devorent, cum Iustitiâ careant; sed in hominibus, hominè tollere, nefas; cû data sit hominibz Iustitia, ut sese amicè cõservet.

Natura cum abhorreat eos, qui in propriam speciem hominum, omnè exuti humanitate insurrexerunt; Est Doctrinâ & Pietate Ornatissimus Dn. JOHANNES Anberg / Smolandia Svecus; qui doctè ac Methodicè à se conscriptâ Oratione, quantum piaculum sit, innoxium sanguinem humanum effundere, hodiè horâ 12. meridianâ, publicè in Auditorio Magno pro concione nobis eloquetur.

S. Reg. Maj. Regnorumq; Sveciæ & Gothiæ Senatorem & Archistabulatorem, Perillustrem & Generosissimum Heroa ac Dominum, DN. BENEDICTVM OCHSENSTIERNA, L. Baronem in Ekebyholm & Suderboo, Dominum in Rappien &c. per Livoniam & Ingriam Generalem Governatorem, Dominum nostrum Gratosissimum, humiliter;

Magnificum Dn. Rectorem; Illustres & Generosos L. Dn. Barones: Admodum Rey, Nobiliss. Consultiss. Experientiss. & Clariss. Dn. Patres Academia, Collegas nostros reverenter colendos, officiosè:

Nobilitate Generis, Doctrinâ & Humanitate Ornatiss. Dn. Studiosos, amicè invitatos ac rogatos volumus, ut dicto tempore adesse haud graventur. Intelligent, quod Sybaritis Delphicum Oraculum, cum consuleretur ob miraculum, quod post Citharædum ab illis in Tèplo Iunonis occisum, sanguis videbatur scaturire, velut è fonte perennis, verè responderit, quandò respondit;

Non immortales hoc Dij patientur inultum.

Si quis enim prudens, sceleratâ e mente profectum,

Committat facinus; gravis hanc quoq; pœna sequetur.

Non exorabit, neq; si genus, à lovo summo

Duceret: ipse suo collo, colligq; Nepotum

Hoc luet; & Generi cumulatim damna ferentur!

P. P. Dorpati, 2. Maij, Anno 1642.

V. I. G. humiliter

V. M. I. R. & C. officiosè

V. P. & H. amicè colens

LAURENTIUS LUDENIUS, Holsat. PH. & I. U. D.

Pœt. C. Profesi: Iuris, Oratoria & Poëtar.

ORATIO
DE HOMICIDIO.



Reg. Majest: Regnorumq; Sveciæ ac Gothiæ Senator & Archistabulator, Perillustris & Generosissime Heros ac Domine, DN. BENEDICTE OCHSENSTIERNA, L. Baro in Ekebyholm & Suderboo/ Domine in Rappien &c. per Livoniam & Ingriam Generalis Governator, Domine Gratosissime; Magnifice Domine Rector; Illustres & Generosi L. Dn. Barones; Admodum Rev. Nobiliss. Experientiss. & Clariss. Dn. Patres Academia, Fautores & Promotores quovis honoris cultu devenerandi:

Claritate, Doctrinâ & Humanitate Præstantissimi Dn. Magistri, Amici jugiter honorandi:

Tuq; Nobilissima Studiosorum Corona, doctrinâ & honestis moribus instructissima, Ornatisima:

Nulla vis gravior; nullum crimen Deo magis abominabile, & Sanioris mentis hominibus detestabilius, quàm innoxij sanguinis humani effusio.

Exordij

Propo. tri-

membris.

Etc.

A 3

Ratio
membr.

Etenim nulla vis majoris est violentia, quam haec; cum iniquissimam necessitatem imponat, voluntati per omnia contrariam.

2. membr.

Deus ipse in homicidas legem tulit gravissimam, dum dixit;

3. membr.

Quicumque effuderit sanguinem humanum, effundetur sanguis illius. Plato, licet Ethnicus, tamen in tantum detestatus est caedes iniquas, ut in Phaedo asseruerit; Quod, qui caedes iniquas patrane, eos omnes fors merget in tartarum.

Transitio.

Nec verò quis vestrum erit, qui hanc meae orationis novitatem, causa & rationis esse expertem autumaverit.

διήγησις 1.

Siquidem, quoties praeteritorum temporum recordor; statim non sine horrore animo occurrit meo, mox à primordio creationis terram, humano, & quidem fraterno sanguine maduisse, quando Cain violentas manus intulit Abeli!

2.

Ab! Lamech Virum è medio virorum sustulit in vulnus suum, & adolescentulum in livorem suum!

3.

Ab! Roma, decus quondam illud Romani Imperij, cum conderetur, fraterno sanguine fuso incaluit, dum Romuli frater occisus traditur!

διήγησις 1.

Ab! utinam & non nostro hoc seculo, innoxius sanguis humanus effunderetur!

2.

Utinam Anno 1641. Diem 13. Julij, infausum non vidissemus; qui inique tollere potuit, Pietate, Doctrina & Humanitate Ornatissimum juvenem Dn. IOSEPHUM PAVLINUM VLSBECKIVM Suevo-Gothum, in Smolandia Patre Reverendo & Literatissimo Dn. PAVLO ERICI, p. m. in Markarodh & Hynnerodh quondam Pastore; Matre, Femina lectissimâ & florentissimâ Anna Peders dotter navum; in Regia hac Universitate GUSTAVIANâ florentissimum civem, & LL. Studio adiectissimum, Sympatriotam & Contubernalem meum non solum Amicitiae & Necessitudinis, sed & propinquioris affinitatis vinculo mihi ardentissime conjunctum! Ab! cum valetudinis curandae, & Liberioris aëris hauri-

hauriendi causâ in publicum inermis è musao prodijisset; nesciâ à quibus, è tumultu alibi excitato advolantibus, innocuus punctum in oculo dextero percutitur,

Et jacuit resupinus humo; cruor emicat altè,
Non aliter quam cum vitiatò fistula plumbo
Scinditur, ac tenui stridente foramine, longas
Ejaculatur aquas, atq; ictibus aëra rumpit.

Obid. 9.
Metam.

Ab! Genitrix, Matrona Honestissima, Reverendo viduata Marito, & annis ferè confecta, Filium suum natu minimum, cordi Materno proximum, quem canitici suae solatium & otium sperabat; hunc, in ipso juventutis flore succisum, horrendum ingemiscit,

Dum pariter vocem, lacrymasq; introrsus obortas
Devorat ipse dolor, duroq; simillima saxo
Torpet: & adversa figit modò lumina terrâ
Interdum moestos extollit ad æthera vultus.

Et licet pia Mater ab exuvijs interfecti sui charissimi filij longâ disjungatur locorum distantia; tamen oculis animi, Nunc positi spectat vultum, nunc vulnera nati; Et moestis animis lacrymas in vulnera fundit Osculaq; ore tegit, consvetaq; pectora plangit.

(b)

Florentissimi, Rev. Praestantissimi, sex Viri Fratres, & unica Soror, Femina florentissima, totaq; familia laudatissima, tantam calamitatem, suâq; domus inopinatum casum jugi Lamentatione detestantur. Ex facti acerbitate moti, Sanguinem ad Deum de terrâ clamantem, identidem exaudire videntur?

(c)

Gemunt Musa nostra Embecciaes!

(d)

Et ut nos, qui, Deo annuente, haëlenus superstites sumus, homicidii istiusmodi malum execrandum, toto animi nisu semper odisse, omni animiq; contentione semper evitare annitiamur;

Transitio.

De Homicidio, ut scelere omnibus fugiendo, breviter dicam.

Propositio
bimembri.

Petitio.

A vobis A. I. Reverenter, officiosè atq; amicè contendo, ut mihi pro ingenio mei modulo, è publico hoc loco dicenti, per horule quadrantem benevolas & faciles aures ac animos accommodare haud dedignemini.

Votum.

Rite tuo, Alme Deus, mea dirige Flamme verba;
Ut crescant laudes Nominis indè tui.

Transitio.

Quam à vobis benevolentiam cum vultus vester propensior mihi promittat;

Expos. pars

1. ejusq; Arg.

1. quat mod.

dicatur

Proposit. 1.

Ratio. (A)

Sap. 1.

(b)

1. Job. 3.

Proposit. 2.

Ratio 1.

2.

Arg. 2. que

definitio.

Laus.

Expositio 1.

Sap. 1.

Ratio.

Expositio 2.

Sap. 1.

Ne rerum perplexitate in diversas cogitandi causas abripiamur, dixerò;

Quod mihi jam non sit animus de Homicidio Spirituali verba facere,

Ita enim Rev. Dn Theologi è Sacris nos docent; Os quod mentitur, occidit animam suam.

Similiter legimus scriptum esse: Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est; & scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam eternam in se manentem.

Verum de Homicidio corporali nonnulla effari annitar, Illud enim ad Politici Magistratus judicium seculare pertinet.

Athenis hujusmodi Homicidia, secundum diversas circumstantias diversis tribunalibus judicabantur.

Hoc Homicidium, à Baldo in L. quâ actione 7. § 1. ad leg. Aquil. hunc in modum describitur: quod sit qualibet exanimatio violenter facta, quâ contra jus anima à corpore separatur.

Brevis quidem mole, sed pondere gravis descriptio: nec indigna, ut in singulas ejus voces attentè attentione inquiramus.

Etenim Homicidium ex 2. homo, & verbo cædo, coaluit.

Sic, enim prob! videmus, quod Homicidium sæpius malo animo & intentione occidendi hominem innocentissimum, abs homine cum effectu perpetretur.

Istiusmodi homicidium dicitur, quod sit exanimatio violenter facta.

Etc.

Etenim naturalis anima à corpore dissolutio, naturalem imitatur decursum causarum; quando scilicet, deficiente calido & humido radicali, corpus humanum, velut materia, ab externâ violentâ causâ eò redigitur, ut ante tempus à naturâ definitur, deponat potentiam retinendi animam seu suam formam.

Ratio.

Dicitur hæc violenta exanimatio, quod contra jus committatur.

Exposit. 3. Sap. 1.

Quando enim ad Reipub gubernacula erecti, Hominem nocentem & sceleratum, merito supplicio afficiunt; secundum juris præscriptum agunt; cum sciamus, quod, dicentibus Ictis, Nulla victima gratior Deo possit immolari, quàm homo nocens.

Ratio per occupationem

Sed, prob! Cain, innocentem fratrem Abelem tollit! Drog, Sacerdotes mactat! Pueri Absolonis, crucidant Ammon! Herodes Afcalonita, necat infantulos Bethlehemiticos! & quis omnia exempla enarraverit?

2. per Exempla

Verum, quò res ipsa plenius innotescat omnibus, & rectius dijudicari possit, homicidij species enarravero.

3. Arg. à Speciebus.

Sic sunt Homicidia planè voluntaria, consuleto & dolo facta.

Transitio.

Etenim non aliter loab Abnerum seorsum abduxit ad medium porte, ut loqueretur ei in dolo; & percussit illum in ingvine!

Proposit. 1. Ratio 1.

2. Sam. 3.

Sic Imperator Caracalla, fratrem Getam in ipso matris gremio occidit!

2.

Sic idem Caracalla interfecit Jurisconsultum Papinianum idèò, quod excusare nollet fratricidium, sed diceret: Non tam facile est excusare Parricidium, quàm facere.

1.

Non enim quis putaverit, quod liceat Superiori, inferiori conditionis hominem innocentem interficere.

Occupatio.

Etenim omnes homines ad imaginem Dei creati sunt: & Deus ter Opt: Max: omnibus hominibus consimilem animam rationalem dedit, quam sine justâ causâ eripi abs homine, qui non dedit, parricidiale facinus est; præsertim cum natura cognationem quandam inter eos constituerit.

Solutio 1.

2.
 Et notabile est, quod Exod. 21. expressè scriptum est;
 Si quis servum innocentem occidit, criminis reus est.
- Proposit. 1. Nec solum homicidae sunt, qui hominem innocentè exteriorè manu interficiunt; sed latius hoc ipsum facinus extenditur.
- Ratio 1. Homicidae enim sunt, qui homicidia quovis modo jurant, subornant, approbant consilio, mandatorum procurant; prout Regina Iesabel, falsis testimonijs sustulit Nabothum; Iudaei, Staphanum; David ita interfecit Uriam. Rex Sveciae Birgerus suos germanos fratres Duces Ericum & Waldemarum, per suum Castellanum Brumhonem, in turrim arcis Nycopensis precipites dari præcepit, ubi (nefas dictu!) ex mutua carnis corrosione per dies non ita paucos sese sustentarunt, & tandem fame perierunt!
2. Homicidae sunt, qui infantulos nedùm natos malitiosè interficiunt!
3. Homicidae sunt, qui delinquent eos, quos tueri debent, prout Imperator Mauritius, subditos suos captivos, cum à Cægano, Avarum Rege nollet redimere; ad unum omnes tyrannus crucidavit!
4. (a) Homicidae sunt, qui sibiipsis violentas manus inferunt; & velut alter Achitophel & Iudas, Diabolico capistro ligati, semetipsos necant ferro, laqueo, veneno, flammâ, aquâ, aut alio cuiusdam generis telo.
- (b) Sic M. Cato Uticensis, & Cleumbrotus Academicus, & Phædon. Platonis de anima immortalitate edocti, necem sibi metipsis consciverunt.
- (c) Rex Sveciae Huningus, in dolio, repleto potu melleo, sponte sua se submersit.
- (d) Rex Daniæ Hadingus, in spectante populo se suspendi permisit.
- (e) Homicidae sunt, qui Parricidium patrunt, & Parentes è medio nefariè tollunt; quos abominans Cicero scribit pro Roscio Amerino;

scio Amerino; Portentum atq; monstrum certissimum est esse aliquem humanâ specie & figurâ, qui tantum immanitate bestias vixerit; ut propter quos hanc suavissimam lucem aspexerit, eos indignissime luce privaret! cum varias etiam feras, inter sese partus atq; educatio & natura ipsa concilieret. Item, nullum supplicium satis acre reperiri potest in eum, qui mortem obulterit parenti, pro quo mori ipsum, res si postularer, Iura Divina atq; Humana postulant.

Homicidae sunt, qui parricidium patrunt, quando è descendenti linea gradibus innocentem quempiam opprimunt! (f)

Sic Svecica Regina Blanca, filium suum Ericum XIII. Ratio. 1. veneno exstinxit!

Medea fratrem Absyrtum occidit, & articulatim dispersum passim per agros disiecit! 2.

Medea, arreptis filijs, quos ex Iasone susceperat, ipso in patris conspectu jugularit! 3.

Pia Patrum Antiquitas, parricidium tantoperè detestata fuit, ut hanc parricidij penam statuerit; scilicet, ut parricida insutus culeo cum cane, gallo gallinaceo, viperâ & simiâ, & felo, animalibus sibi invicem insensissimis, in vicinam aquam projiceretur; quò inter ferales angustias constitutus, omnium elementorum usu vitæ carere inciperet, eiq; cælum superstiti, terra autem mortuo auferretur. Digressio.

Quid dicam? Est etiam Homicidium, quod voluntarium coactum nuncupamus. Proposit. 2.

Ecce enim, sæpius fit, ut quis sui defendendi gratiâ aggressorem interficere compellatur; & qui latronem insidiatorem occiderit, non tenetur, si aliter periculum effugere non potuit. Ratio.

Memorabilis est historia, quod Divino Zelo Phinees adductus, de medio multitudinis surrexit, & arrepto pugione, ingressus est post virum Israëlitam in lupanar, & perfecit ambos simul, viram scilicet & mulierem in locis genitalibus. Digressio.

B. Hinc

Proposit. 3.

Hinc est Homicidium casuale, circa aliquam culpam par-
tratum, dum absq; intentione malâ casu contingit.

Exposit. 1.

Etenim videmus fieri, ut arborum putator, inferius as-
sistenti cavere volens, proclamaverit; qui dum loco noluit cede-
re, ramus amputatus decidit, ac eundem intereris.

2.

Sic sapius Mater, noctu arctiore somno sopita, infantulum
opprimit & suffocat!

3.

Sic sapius fit, ut quis, dum canem mordacem lapide aver-
tere destina vit, praterirentem casu interficiat.

4.

Sic fit, ut furiosus & infantulus occidant; quorum il-
lum, facti infelicitas; hunc, innocentia consilij excusat.

Proposit. 4.

Quid dicam? Est & Homicidium casuale culpâ commissum.

Exposit. (a)

Etenim sæpè fit, ut putator prope viam publicam aut vi-
cinalem, ex arbore dejiciens rimum, non proclamet, ut casus
evitari possit; & ramus præcisus, aliquem, sub arbore constitu-
tum, lethaliter percutiat.

(b)

Sic fit, ut Medicus servum malè fecerit, aut perperam me-
dicamentum alicui præbeat.

2. pars Exp.

Quibus ita cognitis, A. O. facile tacitâ mentis conjecturâ
colligitis, quod voluntarium dolo sumq; homicidium sit vitandum.

eiusq; Arg.

Quippè, cogitate precor, quantum scelus sis, Hominem
innocentem, ad imaginem & similitudinem Dei conditum, è me-
dio violenter tollere.

1. ab inhon.

Ratio. 1.

Certe, in vita civili, Imaginum contemptus & offensa ad
invidiam trahitur eorum, quorum sunt imagines: Ab! cogitate
quæso, quam ingrati sint, in suum Creatorem, innocentem ho-
minem, ad Dei imaginem conditum, qui nefariè cruciandus!

2.

Regum Principum vè violatis statuis vel imaginibus ab
alio, cum crimen læsæ Majestatis commississe, pia credidit anti-
quitas: quid de injustè interfecto pio homine dixerimus; qui est
& fuit templum Spiritus Sancti?

Arg. 2.

Quid dicam? abs Homicidio nos arceperit, quod Sata-
nas cades inter homines excitat,
Etenim

Etenim testatur ipse Filius Dei, Joh. 8. Quod Diabolus
homicida est ab initio. Ratio 1o

Cain, ut Diaboli mancipium, fratrem Abelem interfecit! 2o

Adhuc operatur Satanas in filijs dissidentia, ut cum Saulo
sæpius innocentem Davidem aliquem lanceâ in pariete configere
nitantur! 3o

Quid superaddam? conscientia cruciatus homicidam per
petuò comitatur. Arg. 3o

Homicidæ enim, cum Caino, ob malâ conscientia, sunt vagi
& profugi in terrâ! Ratio 1o

Qui Matrem Clytemnestram interfecit, Furiis agitatur
Orestes. 2o

litud habet damni vitium inter cætera, quod mens
Palpitat assiduo flagitiosa metu. 3o

Semper enim, vel si non deprehendatur in ipso
S. se deprehendi posse putat seclere:

Deq; suo, alterius quoties de crimine sermo est,
Cogitat, & credit se magis esse reum.

Homicida in miseriarum mare se velut præcipitant. Arg. 4o

Etenim inducunt anima sua agritudinem, rationis tenebras,
& Deo abalienationem, consortij ignorantiam, belli interni prin-
cipium, calamitatum acerbum, Dæmonem malum, qui proh!
tunc velut inquilinus impudens interiora hominis occupat. Ratio 1o

In Specie ut prolixè deducam; quæ supplicia mereatur ho-
micidium, supervacaneum esse duco. Arg. 5. (a)

Cum noveritis, quod Deus dixerit; Sanguinem anima-
rum vestrarum requiram de manu hominis, & de manu viri, &
de manu fratris requiram animam hominis. Quicumq; effuderit
sanguinem humanum, fundetur & sanguis illius.

Leges juris civilis Svecici præcipiunt: ut si homicida in
flagranti scelere capiatur, & non sit moderamen inculpatæ ruce-
la, ut sanguis sanguine vindicetur. 2o

3. *Lex Cornelia de Sicariis, homicidas ultore ferro persequitur.*
Proposit. 2. *Cogitate, quæso, quod & illi, qui homicidium voluntariū
coactum perpetrant, suas difficultates sentiant.*

Ratio. *Si enim quis hac utitur exceptione, quod latronem aggresso-
rem interfecerit, statim replicare incipit accusator, quod reus non
fuerit in mortis periculo constitutus; nec motu mortis hominem
interfecerit: quod non defendendi sui causâ, sed ulciscendi animo
fecerit: quod interfecto, sine suo periculo parcere potuerit; quod
clamore non fuerit contestatus sibi vim inferri: & sunt ejus ge-
neris exceptiones complures.*

Proposit. 3. *Sunt & in homicidio casuali, culpa facta, non exigua dif-
ficultates.*

Ratio. *Etenim, ut alias taccam tricas, quibus intricantur; de
jure Civili, poenâ Legis Aquiliæ tenentur: alioquin non minus
ex dolo, quàm ex culpâ quisque Lege Aquiliâ tenetur.*

Proposit. 4. *Et quid dicam? An Homicidium Casuale citra culpam
commissum, suis molestiis caret?*

Ratio 1. *Sanè confiteor, quod ei nulla omninò culpa homicidij posse
imputari; nec teneatur Lege Aquiliâ, tamen jure Saxonico, pro
homicidio casuali, Agnatis occisi, VVerigeldium; & Magistrati,
multa debetur.*

2. *Secundum Leges Moisis, quicumque animam percusseris
nesciens, & potuit evadere iram proximi, qui ultor erat san-
guinis; ad unam Civitatem refugij cogebatur confugere; &
demùm post mortem Summi Sacerdotis revertebatur in suam ci-
vitatem, & domum, de quâ fugerat.*

3. *Et adhuc multis in terris eget Codicillis veniæ.*

Illatio. *O Homicidium abominandum! quod dum abominor, doleo;
quod voces subaudiuntur effluventium; Homicidia patrare, sce-
lus non esse.*

Ratio 1. *Garrunt enim; Homines nequam, indies nequiores eva-
dunt; quos non nisi ense & gladio compercere quis poterit.*

Injta

2. *Insuper, gravissimum est animi dolorem Iustâ de causâ ac-
tensum, suppressere; Quando,*

Cum spirat ira Sangvinem; nescit regi.

*Verum, ut hæc dicantur; Vocem tamen non hominis
Christiani, sed impij Cyclopi esse dixerò.*

Prop. prior
contraria.

*Etenim Lex Dei est; Qui percusserit hominem, & occi-
derit, morte morietur.*

Ratio 1.

*Gladio peribunt, qui gladium acceperint; grollit, teste Au-
gustino, ille gladium accipit, qui nullâ superiore ac legitimâ
potestate vel jubente vel concedente, in sangvinem alicujus ar-
matur.*

2.

Et, non lex justior ulla est,

3.

Quàm necis artifices arte perire suâ.

*Et licet verum sit, quod malitiosi, cæteris paribus, è me-
dio tollendi sint; tamen non vindictâ privatâ, sed publicâ, &
ordinariâ per Magistratum, legitime convicti, erunt judicandi
& supplicio afficiendi.*

Solutio 1.
objectionis

*Certum enim est, quod si fiat, ut quis sine publicâ admi-
nistracione maleficum interficiat, quod veluti homicida sit judi-
candus & tanto amplius, quanto sibi potestatem, à Deo non con-
cessam, usurpare non timuit.*

Ratio.

*Hinc, licet grave sit, affectibus resistere; tamen dolori &
inordinatis affectibus, catenam injicere tenemur.*

Solutio 2.
objectionis

Etenim

Ratio 1.

Vince animos iramq; tuam qui cætera vincis!

Et, flecte mentem, pectus antiquum advoca.

2.

Victas magno pectore ærumnas, doma.

Resiste: tantis in malis vinci malum est.

3.

Verè dicta,

... Furor iraq; mentem

Præcipitant . . .

Sic, A.